

objurgat Reisigius, quorumque alia recte monet, in aliis non ea, quae vituperatorem decet, circumspectione utitur, neglectos enim a me dicit codices a Vauvilliersio collatos, neglectos eos, quorum lectiones publici juris fecit Faehsius, et ne Buttleri quidem atque Blomfieldii copias satis accurate adhibitas. Jam quod ad Francogalli libros attinet, id sane a me commissum esse pudet me atque poenitet, ut, quum a Blomfieldio varias lectiones ex iis laudari viderem, omnes ab eo laudari putaverim, tantumque indulserim pigritiae meae, ut librum a Blomfieldio adhibitum non mihi quoque ipsi inspiciendum esse statuerim. Id autem male a me factum esse, quum Blomfieldius eas quidem lectiones, quae alicujus momenti essent, sed non omnes attulisset, brevi post editum a me librum ab amicis commonefactus, statim omnes, quotquot omiseram, lectiones alteri volumini subicere decrevi, id quod jam factum est. De Faehsiano autem libro alia res est, quo diligenter perlecto, quum intelligerem, nihil fere novi, quod quidem alicui usui esset, a Faehsio in medium prolatum esse, sed omnes Aeschyli codices, quos usurpavit, ab aliis jam ante collatos esse (id quod et Faehsium ex parte fugit, et Reisigium latuit), tantum me illius libri taedium cepit, quanto ab recocta crambe